

ma in alios, in se nimium paene multa inquirens; in feligendis, collocandisque verbis, multum ponebat operae, atque in ea re magnam cum prudentiam, tum vero etiam diligentiam adhibebat: hoc enim unum sibi persuaserat esse, quod in oratione novitatem, & quasi, patriis moribus conservatis, peregrinitatem tamen quandam effingeret; quae, cum multum omnibus in rebus admirationis habeat, ob id ipsum plurimum etiam non modo dignitatis, sed etiam jucunditatis adferre solet. Ac profecto, quantum intelligere nos possumus, praecclare hoc, quod difficillimum semper habitum est, Bembus praestitit, ut, cum minus fere usitate loqueretur, hospitis speciem tamen effugeret. quod si qui sunt, qui vulgi opinione ducti, quotidianam hanc tritam, communemque dictionem in hominum eruditorum, aut versibus, aut prosa oratione vel postulent, vel expectent, atque ob eam causam Bembi oratione, quae a plebejo ac pervagato hoc tabernariorum atque opificum sermone longe dissonat, minus delectentur; ii erunt ex eorum numero, qui de iis studiis existimare aut leviter, aut nihil possint. Causus quidem Caesar, ut litteris proditum video, & ipse bene loquendi laudem, non populi consuetudine, sed multo studio, multisque litteris, & iis quidem reconditis & exquisitis, assequutus est; & cum de ratione Latine loquendi ad Ciceronem ipsum accuratissime, pluribus quidem libris, scriberet, verborum delectum originem dixit esse eloquentiae. Jure igitur Bembus, majore quadam cura, in verbis eligendis torquebatur, praesertim cum Etrusce scriberet: itaque nova, splendida, decoraque ejus in primis oratio est: parum enim fidei consuetudini semper habuit; quod ea partim varia atque inconstans, partim etiam vitiosa atque corrupta esset; &, quoniam ne Romam quidem, nec adeo Athenas illas ipsas Atticas, quibus temporibus eloquentia maxime floruit, diutius tenere illud potuisse scriptum legerat, ut ne barbarie earum infuscaretur atque inquinaretur oratio; repudiandum sibi hunc sermonem, qui nunc est, statuebat esse; atque eum, qui fuerat in Etruscis olim hominibus purus atque emendatus, cum minus dum exterarum nationum in Italiā confluxerat, adsciscendum: qui cum illi non de populo, futili inanique doctore, discensus esset; sed e veterum libris, gravissimis auctoribus, percipiendus; illud etiam eadem opera adsequebatur, ut ejus, dignitatem, gravitatemque haberet oratio: nam quotidianus quidem, vulgarisque hic hominum sermo, e sordidis artibus maximam partem ductus, multum ex officina, multum e taberna, e sellaque redoleat, necesse est. (a) Sunt igitur Bembi de ratione Etrusce loquendi libri tres in dialogo mirabiliter scripti; quibus profecto effectum est, ut quod homines Etrusce loquantur, non bona modo jam consuetudinis sit, quam tamen fluxam atque instabilem videmus esse, sed jam etiam

d

scien-

(a) Sunt igitur Bembi de ratione etrusce loquendi libri tres) Opus ita inscribitur: Prose di M. Pietro Bembo nelle quali si ragiona della volgar lingua scritte al Cardinale de' Medici che poi è stato creato a Sommo Pontefice & detto Clemente Settimo divise in tre libri. Prodiit primum Venetiis in fol. e praelo Joannis Tacuini anno M. D. XXV. PRIMUS omnium Bembus fuit, qui nostris hominibus linguae suae artem traderet, cuius praecepta ipse longo studio, multaque optime dilectorum observatione congesserat, ut grammaticae artis corpus absolveret. Scio equidem ante editos eos libros, jam ab anno M. D. XVI. de mensa septembri, Anconae, per Bernardinum Vercellensem, in 4. emissum esse in lucem Joannis-Francisci Fortunii opus hoc titulo: Regole grammaticali della volgar lingua. Sed Bembus in Epist. vernaculis Vol. III. lib. II. ad Bernardum Tassum scribens, plagii aperte Fortunium insimulat, suaque esse, quae ille venditavit, aperte profitetur. „Quanto al maestro Pellegrino Moretto,, (hic est Pellegrinus ille Mantuanus, qui praeter quaedam alia perpaucā, in vulgus edidit libellum, qui inscribitur: Rimario de tutte le canticie